6. *Idem*, lib. 5 Responsorum.

Si filio puberi pater tutorem, aut impuberi curatorem dederit, citra nquisitionem prætor eos confirmare[15] debebit.

7. Hermogenianus, lib. 2 juris Epitomarum.

Naturali filio, cui nihil relictum est, tutor frustra datur a patre: nec sine inquisitione confirmatur. — § 1. Si quæratur, an ex inquisitione recte datus sit tutor, quatuor hæc[16] consideranda sunt: an hic dederit qui dare potuit; et ille acceperit cui fuerat dandus; et is datur cujus dandi facultas erat; et pro tribunali decretum interpositum.

8. Tryphoninus, [lib. 14 Disputationum.]

In confirmando tutore hoc prætor inquirere debet, an duraverit[17] patris voluntas: quod in facili est, si proximo mortis tempore tutores non jure vel curatores scripserit pater: nam si ante annos, ut spatio medio potuerit facultatium dati non jure tutoris a patre fieri deminutio, vel morum ante celata vel ignorata emersit improbitas, aut inimicitiæ cum patre exarserunt,

9. Paulus, [lib. singulari de Cognitionibus.]

Vel cum fisco[18] aliquem contractum damnosum miscuissent,

10. Tryphoninus, [lib. 14 Disputationum.]

Utilitatem[19] pupillorum prætor sequitur, non scripturam testamenti, vel codicillorum: nam patris voluntatem prætor ita accipere debet, si non fuit ignarus scilicet eorum, quæ ipsa prætor de tutore comperta habet. Quid denique, si postea de eo, quem pater testamento codicillisve non jure dedit, scripsit tutorem esse nolle? Nempe non sequitur primam[20] voluntatem prætor, a qua pater discessit.

11. Scævola, [lib. 20 Digestorum.]

Avia nepotibus curatorem dedit, fideicommisso ei relicto: quæsitum est, an administrare curator compelli debeat? Respondit, curatorem quidem non esse: sed, cum aliquid ei testamento datum esset, teneri eum ex fideicommisso, si non curam susciperet; nisi id quod ei datum esset, nollet petere, aut reddere esset paratus. — § 1. Item quæsitum est, an iste curator satisdare nepotibus debeat? Respondit, quasi curatorem non debere: sed cum fideicommissum ab eo peti posset, fideicommissi nomine satisdare debere.

TIT. IV.

DE[1] LEGITIMIS TUTORIBUS.

1. Ulpianus, [lib. 14, ad Sabinum].

Legitimæ tutelæ lege duodecim[2] tabularum adgnatis[3] delatæ sunt; et consanguineis: item patronis, id est, his qui ad legitimam hereditatem admitti possint. Hoc summa providentia: ut qui[4] sperarent hanc successionem, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur. — § 1. Interdum alibi est hereditas, alibi tutela: utputa si sit consanguinea pupillo: nam hereditas quidem ad adgnatam pertinet, tutela autem ad adgnatum. Item in libertinis, si sit patrona, et patroni filius: nam tutelam patroni filius, hereditatem patrona[5] obtinebit: tantundemque erit et si sit patroni filia, et nepos. — § 2. Si apud hostes sit frater, inferioris gradus adgnato tutela non defertur: nam et si patronus apud hostes sit, patroni filio tutela non defertur: sed interim a prætore datur. — § 3. Interdum [autem] etiam sine hereditate tutela defertur, interdum hereditas sine tutela: utputa in eo qui latitavit, cum servum [suum] rogatus esset manumittere. Nam generaliter divus Pius rescripsit Aurelio Basso, jus patroni eum non habere, his verbis: *Plane tergiversatio eorum, qui subvertere fideicommissam libertatem velint, eo modo puniatur, ne jus patroni adquirant in eo quem liberum esse nolunt.* Idem erit, si filiæ adsignatus[6] libertus sit: tutela quidem apud fratres remanebit, ut Marcellus notat, legitima autem hereditas ad sororem pertinebit.

2. *Idem*, lib. 37, ad Sabinum.

Legitimam tutelam capitis deminutione pupilli, etiam ea quæ salva civitate contingit[7], amitti, nulla dubitatio est.

15. § 1, Inst. de curat. — 16. L. 1, § 1, supr. h. t. — 17. L. 9, L. 10, infr. eod.; L. 4, in fin. supr. de testam. tut. — 18. L. ult. C. qui dare tutor.; L. un. C. ne tut. vel curat. vect. — 19. L. 7, in fin. infr. de annuis legat. — 20. L. 10, § 1, supr. de testam. tut.
Tit. IV. — 1. Lib. 5, C. 30, et 1, Inst. 15, 16, 17, 18, 19. — 2. L. 5, L. 5, infr. h. t.; pr. Inst. de legit. agnat. tut. pr. Inst. de legit. patron. tut. — 3. L. 6, infr. h. t. — 4. L. 73, in pr. infr. de reg. jur. Inst. de legit. patron. tut. — 5. L. 3, § 4, infr. h. t. — 6. Inst. de adsignat. libert. — 7. L. 14, in pr. supr. de tutel.; § 5, Inst. de capit. demin.; § 4, Inst. quib. mod. tut. — 8. Inst. de legit. patron. tut.; L. 73, in pr. infr. de reg. jur. — 9. L. 2, C. si mancip. ita fue-

3. *Idem*, lib. 38, ad Sabinum.

Tutela legitima, quæ patronis defertur [e] lege duodecim tabularum, non quidem specialiter vel nominatim delata est, sed per consequentias[8] hereditatium, quæ ex ipsa lege patronis datæ sunt. — § 1. Ergo manumissor ex lege duodecim tabularum tutor est, sive sponte [manumisit], sive etiam compulsus ex causa fideicommissi manumisit. — § 2. Sed etsi hac lege emit, *ut manumitteret*, et ex constitutione[9] divi Marci ad Aufidium Victorinum pervenit ad libertatem, dicendum est tutorem esse. — § 3. Plane, si forte ex Rubriano[10] senatusconsulto pervenerit ad libertatem, non habebit tutorem eum, qui rogatus est, sed orcinus libertus effectus ad familiam testatoris pertinebit. In qua specie incipit tutela ad liberos patroni primos pertinere, quæ ad patronos non pertinuit. Quod quidem in omnibus orcinis libertis locum habet testamento manumissis. — § 4. Si duo pluresve manumittant, omnes tutores sunt: sed si mulier[11] sit inter manumissores, dicendum est solos masculos fore tutores. — § 5. Sed si aliquis ex patronis decesserit, tutela penes cæteros patronos est, quamvis ille filium reliquerit. Sed et si ab hostibus fuerit captus, interim soli compatroni tutores sunt. Simili modo et, si in servitutem redactus sit, apparet cæteros esse tutores. — § 6. Sed si omnes patroni decesserint, tunc tutela ad liberos eorum incipit pertinere. — § 7. Proinde si alter ex patronis filium, alter[12] nepotem reliquerit, utrum ad solum filium, an vero et ad nepotem tutela pertineat: quia et nepos in familia patris sui proximus est? hoc apparebit ex legitimis hereditatibus: legitima autem hereditas ad solum filium pertinet: ergo et tutela ad solum filium descendit: post filium, tunc ad nepotem. — § 8. Quæri potest, si patroni filius sit remotus, vel excusatus, an nepoti tutela deferatur? Et Marcellus in ea sententia est, ut succedi non posse scribat: idcirco[13] enim abierunt tutela, ut alii in locum eorum dentur, non ut successio admittatur. — § 9. Non tantum autem morte, verum etiam capitis deminutione successio debet in legitima tutela admitti: quare si proximior capite deminutus est, qui post eum est, succedit in tutelæ administratione. — § 10. Si parens filium, vel filiam, vel nepotem, vel neptem, vel deinceps impuberes, quos in potestate habeat, emancipet: vicem[14] legitimi tutoris sustinet.

4. Modestinus, [lib. 4 Differentiarum.]

Quo defuncto, si liberi perfectæ[15] ætatis existant, fiduciarii[16] tutores fratris vel sororis efficiuntur.

5. Ulpianus, [lib. 35, ad Edictum].

Legitimos tutores nemo dat: sed lex[17] duodecim tabularum fecit tutores. — § 1. Sed etiam hos cogi satisdare certum est: in tantum, ut etiam patronum et patroni filium, cæterosque liberos ejus cogi *rem salvam fore* satisdare, plerisque videatur. Sed hoc causa[18] cognita prætorem statuere debere melius est, utrum debeat satisdare patronus, liberique ejus, an non: ut si persona honesta sit, remittatur ei satisdatio, et maxime si substantia modica sit; si autem patroni persona vulgaris, vel minus honesta sit; ibi dicendum est, satisdationem locum habere: u aut modus tutelæ, aut persona, aut causa admittat satisdationem. — § 2. In legitimis, et in his qui a magistratibus dantur, quæsitum est, an uni decerni tutela possit? Et ait Labeo, et uni recte tutelam decerni: posse enim aliquos vel absentes, vel furiosos esse: quæ sententia utilitatis gratia admittenda est, ut uni decernatur administratio. — § 3. An ergo et provocare[19] se invicem secundum superiorem clausulam possint? Et magis est, ut si omnes satis non dederint, vel si finita est satisdatio (nonnunquam enim satisdatio ab eis non petitur, aut satis desinit esse cautum) aut magistratus municipales ab his quos dederint aut non potuerunt, aut noluerunt satis exigere, posse dici etiam in his, quo casu cautum non est, admittendam provocationem. — § 4. An ergo et in patronis idem sit dicendum, maxime ubi cessat satisdatio? Et puto, in patronis non oportere admitti provocationem, nisi ex magna causa: ne quis spem successionis deminuat: nam si patrono tutela non fuerit commissa, poterit per compatronum damno adfici, qui solus rem pupilli male administrat. — § 5. Si legitimus tutor capite minutus[20] sit, dicendum est, desinere eum esse tutorem, et locum esse judicio tutelæ finita tutela.

6. Paulus, [lib. 38, ad Edictum].

Intestato parente mortuo, adgnatis[21] defertur tutela. *Intestatus* autem

rit. alienat. — 10. L. 26, § 7, infr. de fideicom. libert. — 11. L. 1, § 1, supr. h. t. Inst. de legit. patron. tut. in fin.; N. 118, c. 5. — 12. L. 5, in fin.; L. 25, § 1, infr. de bon. libert. — 13. L. 11, § 2, supr. de testam. tut. — 14. § 6, Inst. quib. mod. jus patr. potest. Inst. de legit. parent. tut. — 15. L. 8, infr. h. t.; L. 16, § 1, supr. de tutel. — 16. Inst. de fiduc. tut. — 17. L. 1, in pr. supr. h. t. — 18. L. 13, § 1, infr. tit. prox. — 19. L. 17, in pr.; L. 19, in pr. supr. de testam. tut. — 20. L. 2, C. h. t.; § ult. Inst. de legit. agnat. tut. — 21. L. 1, in pr. supr.; L. 1, C. h. t.

videtur non tantum is qui testamentum non fecit[22], sed et is qui testamento liberis suis tutores non dedit: quantum enim ad tutelam pertinet, intestatus est. Idem dicemus, si tutor testamento datus adhuc filio impubere manente decesserit[23]: nam tutela ejus ad adgnatum revertitur.

7. Gaius, [lib. 1 Institutionum].

Sunt autem *adgnati*[24], qui per virilis sexus personas cognatione juncti sunt, quasi a patre cognati: veluti frater eodem patre natus, fratris filius, neposve ex eo; item patruus, et patrui filius, neposve ex eo.

8. Paulus, [lib. 38, ad Edictum].

Si reliquero filium impuberem, et fratrem, et nepotem ex alio filio: constat utrosque esse tutores, si perfectæ[25] ætatis sunt: quia eodem[26] gradu sunt.

9. Gaius, [lib. 12, ad Edictum provinciale].

Si plures sunt adgnati, proximus tutelam nanciscitur: et si eodem gradu plures sint, omnes tutelam nanciscuntur.

10. Hermogenianus, [lib. 2 juris Epitomarum].

Adgnato propior fœmina, quo minus sit impuberis adgnati tutor, non objicitur: ideoque patruus sororem consanguineam habentis fratris filii legitimus erit tutor: nec amita patruo magno, vel matertera fratris filiis, ne sint tutores, obstat.— § 1. Surdus[27], et mutus[28], nec legitimi tutores esse possunt: cum nec testamento, nec alio modo utiliter dari possint.

11. Paulus, [lib. 16, ad Plautium].

Minus autem audiens, potest.

TIT. V.

DE TUTORIBUS ET CURATORIBUS DATIS[1] AB HIS QUI JUS DANDI HABENT: ET QUI[2], ET IN QUIBUS CAUSIS SPECIALITER[3] DARI POSSUNT.

1. Ulpianus, [lib. 39, ad Sabinum.]

Sive proconsul[4], sive præses[5], sive etiam præfectus Ægypti, sive proconsulatum [obtineat] provinciæ, [vel] temporis[6] causa præside defuncto, vel quia ipsi provincia regenda commissa est, tutorem dare poterit. — § 1. Legatus[7] quoque proconsulis ex oratione divi Marci tutorem dare potest.— § 2. Quod autem permittitur tutorem dare provinciæ præsidi, eis tantum permittitur, qui sunt ejusdem[8] provinciæ, vel ibidem domicilium habent[9].

2. *Idem*, lib. 35, ad Edictum.

Cum quidam tutores dati appellassent[10], quidam autem non adessent: divus Pius rescripsit, dandum temporarium tutorem, qui tutela fungatur.

3. *Idem*, lib. 36, ad Edictum.

Jus dandi tutores datum est omnibus magistratibus municipalibus: eoque jure utimur: sed illum, qui ab eodem[11] municipio vel[12] agro ejusdem municipii est.

4. *Idem*, lib. 9, ad legem Juliam et Papiam

Prætor ipse se tutorem dare non[13] potest: sicut nec pedaneus judex, nec compromissarius ex sua sententia fieri potest.

5. Gaius, lib. 12, ad Edictum provinciale.

Illud semper constitit, præsidem posse tutorem dare tam absentem quam præsentem, et tam præsenti quam absenti:

6. Ulpianus, lib. 8, de omnibus Tribunalibus.

Nec non ignoranti, et invito.

7. *Idem*, lib. 1, de omnibus Tribunalibus.

Non tantum ad dotem[14] dandam nupturæ curatorem dari oportet, verum etiam ei [quoque] quæ jam nupta est: sed et ad dotem augendam datur: et mutandæ quoque dotis gratia curator dari potest.

22. In pr. Inst. de hered. quæ ab intestato. — 23. L. 11, § pen. supr. de testam. tut. — 24. § 1 Inst. de legit. agnat. tut.: L. 10 § 2 et 6, infr. de gradib. et affin. — 25. L. 4, supr. h. t. — 26. L. 9, infr. eod.: § ult. Inst. de capit. demin. — 27. L. 1, § ult. supr. de tutel. — 28 d. L. 1, § 2.
Tit. V. — 1. Lib. 5, C. 34. et 1, Inst. 20. — 2. Lib. 5, C. 35. — 3. Lib. 5, C. 33, 36. — 4. *Fac.* L. 8, L. 9. supr. de offic. procons. — 5. *Fac.* L. 11, supr. de offic. præsid.; § 4. Inst. de Atil. tut. — 6. L. ult. C. de offic. ejus, qui vicem. — 7. L. pen. supr. de offic procons. — 8. L. 27, in pr. infr. h. t.: L. 3, supr. de offic. præsid.; L. ult. supr. de jurisdict; L. 3, in fin. infr. h. t.; L. 1, § pen.: L. 25, in fin. infr. de excusat.; § 4, Inst. de Atil. tut. — 9. *Immo vide* L. 10, supr. de tutel. — 10. L. 17, § 1, infr. de appellat. — 11. L. 1, § ult. supr. h. t. — 12. L. 9 supr. de judic.; L. 30, infr. ad municipal. — 13. L. ult. supr. de offic. præt.; L. 5,

8. *Idem*, lib. 8, de omnibus Tribunalibus.

Nec mandante præside alius tutorem dare poterit. — § 1. Si prætor vel præses provinciæ in furore aut dementia constitutus dederit tutorem, non puto valere: quamvis enim prætor vel præses sit, nec furor ei magistratum[15] abroget, attamen datio nullius erit momenti. — § 2. Dari tutor omni die[16] poterit. — § 3. Furioso[17], et furiosæ, et muto[18], et surdo[19] tutor vel curator a prætore vel præside dari poterit.

9. Marcianus, lib. 9 Institutionum.

Impuberi[20] ad hereditatem adeundam ut tutor detur, ex causa permissum est.

10. *Idem*, lib. 5 Regularum.

Tutor si petitus fuerit habenti[21], sed absente eo, quasi non haben datus sit, datio nulla est: nam et quoquo modo in petitione tutoris erratum fuerit in facti causa, maxime post constitutionem divorum fratrum, non valet tutoris datio.

11. Celsus, lib. 11 Digestorum.

Curator pupillo vel pupillæ non[22] datur, si tutor eorum affuerit.

12. Ulpianus, lib. 3, de officio Proconsulis.

His qui in ea causa sunt ut superesse[23] rebus suis non possint, dare curatorem proconsulem oportebit. — § 1. Nec dubitabit filium[24] quoque patri curatorem dare: quamvis enim contra sit apud Celsum et apud alios plerosque relatum, quasi indecorum sit patrem a filio regi, attamen D. Pius Justio Celeri, item D. fratres rescripserunt, *filium, si sobrie vivat, patri curatorem dandum, magis quam extraneum.* — § 2. D. Pius matris querelam de filiis prodigis[25] admisit, ut curatorem accipiant, in hæc verba: *Non est novum quosdam, etsi mentis suæ videbuntur ex sermonibus compotes esse, tamen sic tractare bona ad se pertinentia, ut, nisi subveniatur his, deducantur in egestatem: eligendus itaque erit qui eos consilio regat: nam æquum est, prospicere nos etiam eis, qui, quod ad bona ipsorum pertinet, furiosum faciunt exitum.*

13. Papinianus, lib. 11 Quæstionum.

Si impuberi libertas et hereditas per fideicommissum data sit, et institutus adire nolit: senatus censuit, eum, si impuberis nomine desideretur, adire cogendum[26]: ut[27] tamen pupillo, pupillæ tutor ab eo cui jus dandi erit, detur, qui tutelam retineat, quoad restituatur hereditas, et *rem salvam fore* ab herede caveatur. Postea D. Hadrianus, ut idem in eo servetur, cui directa libertas data fuerit, rescripsit. — § 1. Quamvis autem a patrono, *rem salvam pupillo fore* non facile cautio[28] exigatur, tamen senatus pro extraneo haberi voluit eum, qui, quod in ipso fuit, etiam libertate privavit impuberem: et jus quidem liberti quod habet, quia ex causa fideicommissi manumittit, non est ei ablatum: tutela vero sine[29] vinculo cautionis non committitur. Quid ergo, si non caveat? Non dubie tutela non erit apud patronum. — § 2. Sed si puella duodecimum annum impleverit, tutor desinit esse[30]. Quoniam tamen minoribus annorum desiderantibus curatores dari solent, si curator patronus petatur, fides inquisitionis pro vinculo[31] cedet cautionis.

14. *Idem*, lib. 12 Quæstionum.

Libertus non aliis patroni patronæve liberis tutor esse cogitur, quam qui jura patronatus sperare possunt[32].

15. Paulus, lib. 2, ad Edictum.

In omnem[33] rem curator dandus est in ejus tutoris locum, qui reipublicæ[34] causa abfuit.

16. *Idem*, lib. 73, ad Edictum.

Nec ille desinit tutor esse: quod et in omnibus qui ad tempus excusantur, juris est.

17. Ulpianus, lib. 9, ad Edictum.

Ei qui de statu[35] suo litigat, tutorem dari posse Pomponius scribit. et verum est: ut ita demum teneat datio, si liber est.

supr. de offic. præsid. — 14. L. 5, § 3; L. 61, supr. de jure dot. — 15. L. 20, supr. de statu homin — 16. L. 3, § 3, supr. de tutel. — 17. L. 1, C. de curat. furios.; § 3, Inst. de curat. —18 L. 6, in pr. supr. de tutel.— 19. d. L. 6, § 3.— 20. L. 13, in pr. infr. h. t.— 21. L. 27, in pr. supr. de testam. tut — 22. *Excip.* L. 13, supr. de tutel.— 23. L. 2. infr. de curat. furios. 24. L. 1, in fin.; L. 2, L. 4, infr. d. t. — 25. L. 1, infr. d. t. — 26. L. 22. § 1, infr. ad SC. Trebell. — 27. L. 9. supr. h. t.; L. 17. in fin. infr. de appellat. — 28. L. 5, § 1, supr. tit. prox. — 29. L. 2, C. de tut. vel curat. qui satis non dedit. — 30 L. ult. C. quando tut. vel curat. esse desin.; Inst. quib. mod. tutel. finit. in pr.— 31. L. 8, infr. de curat. furios.— 32. L. 5, § 22, supr. de agnosc. et alend. lib.: L. 24, infr.; L. 6, C. de excusat. tut. — 33. *Excip.* L. 9, supr. h. t. — 34. L. 12, supr. de tutel. — 35. L. 1, C. qui dare tutor.; L. 6, C. de petit. hered.

18. *Idem*, lib. 61, ad Edictum.

In dando tutore ex inquisitione, et in eum inquiritur qui senator est. Et ita Severus rescripsit.

19. Paulus, lib. 16, ad Plautium.

Ubi absunt hi qui tutores dare possunt, decuriones[36] jubentur dare tutores : dummodo major pars conveniat: ubi non est dubium, quin unum ex se dare possint. — § 1. Magistratus municipalis collegam suum quin dare tutorem possint, non est dubium.

20. Modestinus, lib. 7 Differentiarum.

Ventri[37] tutor a magistratibus populi romani dari non potest; curator potest : nam de curatore constituendo edicto comprehensum est. — § 1. Curatorem[38] habenti quominus alius curator detur, regula juris non t impedimento.

21. *Idem*, lib. 1 Excusationum.

Scire oportet magistratus, quod curatrices minoribus mulieres[39] non creabunt. — § 1. Si mater sub hac conditione scripserit filios heredes, *si soluti patris potestate fuerint* : solutis his, et propter hoc heredibus, ipse pater curator creari non poterit, etiamsi voluerit : ut non alia via hoc, quod noluit testatrix, fiat : et hoc ita a divo Severo promulgatum est. — § 2. Sed et si quis a parentibus[40] prohibitus fuerit tutor esse, hunc neque creari oportet : et, si creatus sit, nec recusaverit, prohiberi eum esse tutorem, manente epitimia. — § 3. Eos qui in legatione sunt, nec creent tutores vel curatores magistratus : quia per id tempus, quo in legatione sunt, periculum ad eos non pertinet. — § 4. Si præfectorium hominem in legatione existentem romanus princeps dederit tutorem, dimittetur. — § 5. Cum reliquis oportet magistratum et mores creandorum investigare : neque facultates enim, neque dignitas ita sufficiens est ad fidem, ut bona electio, vel voluntas, et benigni mores. — § 6. Semper autem maxime hoc observent magistratus, ne creent eos qui seipsos volunt ingerere[41] ut creentur, quique pecuniam dant : hos enim et pœnæ obnoxios esse promulgatum est.

22. *Idem*, lib. 5 Excusationum.

Et qui non sunt consiliarii vel senatores, consiliariorum, vel senatorum filiis tutores creantur : sicut et consiliarii vel senatores his qui non sunt ex consiliariis vel senatoribus.

23. *Idem*, lib. 4 Pandectarum.

Simul plures[42] tutores dari possunt.

24. Paulus, lib. 9 Responsorum.

Divi Marcus et Verus Cornelio Proculo : *Si quando*[43] *desinit in civitate, ex qua*[44] *pupilli oriundi sunt, qui idonei videantur esse tutores : officium sit magistratuum, inquirere ex vicinis civitatibus honestissimum quemque, et nomina*[45] *præsidi provinciæ mittere, non ipsos arbitrium dandi sibi vindicare.*

25. *Idem*, lib. 10 Responsorum.

Curatorem impuberi datum quacunque ex causa, perseverare in diem pubertatis[46] in eadem cura, respondi : ergo post pubertatem alium curatorem sibi petere debebit.

26. Scævola, lib. 2 Responsorum.

Seiæ egressæ annos duodecim, decreto prætoris ex inquisitione datus est tutor quasi minori[47]. Quæro, an excusare se deberet? Respondi, secundum ea quæ proponerentur, neque excusationem necessariam esse, neque obligari quod non gereret.

27. Hermogenianus, lib. 2 juris Epitomatorum.

Pupillo, qui tam Romæ quam in provincia facultates habet, rerum[48] quæ sunt Romæ, prætor[49] : provincialium præses tutorem dare potest[50]. — § 1. Libertino tutores liberti[51] dandi sunt : sed etsi ingenuus detur, nec[52] se excusaverit, tutor perseverabit.

28. Paulus, lib. 2 Decretorum.

Romanius Appulus ab judice appellaverat[53], dicens *se non debuisse dari in tutela collegam ei, quem ipse, cum magistratus esset, nominasset suo periculo, ne in una tutela duplex periculum sustineret* : decrevit imperator, posse quem et fidejussorem pro tutore esse, et nihilominus tutorem dari. Itaque detentus est in tutela.

29. *Idem*, lib. singulari de Cognitionibus.

Si peregre agant qui tutores vel curatores dati sunt, ut intra diem trigesimum[54] notum his a magistratibus fiat, divus Marcus rescripsit.

TIT. VI.

QUI PETANT[1] TUTORES VEL CURATORES, ET UBI PETANTUR.

1. Modestinus, lib. 7 Differentiarum.

Matris sollicitudo[2] in petendis filio *tutoribus*, non etiam curatoribus, observatur : nisi quo casu impuberi curator petendus est.

2. *Idem*, lib. 1 Excusationum.

Si minores non habent eos qui ex legibus sunt defensores, si quidem tutoribus indigent propter ætatem, possunt petere eis tutores constitui, cognati, et qui secundum affinitatem sunt, familiares parentum, masculorum, et fœminarum : possunt et amici parentum et educatores ipsorum puerorum hoc petere. — § 1. Alii igitur voluntate petunt tutores : sunt autem quidam, quibus est necesse petere tutores, puta, mater[3], et liberti[4] : ex his enim illa damnum patitur, hi autem et puniuntur, si non petierint eos qui ex legibus defensores sunt : mater enim expellitur a legitima[5] filii hereditate, quasi existens indigna accipere hereditatem legitimam, negligens ei constitui tutorem. Et non solum si non petierit, sed et si puritatis[6] gratia petierit eum qui dimitti poterat, deinde dimisso eo, vel abjecto, alium non petierit rursum, vel ex studio malos petierit. Liberi autem ex his causis accusati apud præsidem puniuntur, ut emendentur, si apparuerint, vel propter negligentiam, vel propter malitiam non petiisse. — § 2. Quæ autem de matre dicta sunt, ostenduntur in epistola divi Severi, cujus verba subjecta sunt.

Divus Severus Cuspio Rufino : *Omnem me rationem adhibere subveniendis pupillis, cum ad curam publicam pertineat, liquere omnibus volo : et ideo quæ mater vel non petierit tutores idoneos filiis suis, vel prioribus excusatis, rejectisve, non confestim aliorum nomina dederit, jus non habeat vindicandorum sibi bonorum intestatorum filiorum.*

§ 3. Si quidem aliquis vel fœnerator vel legatarius, vel alius necessariam habeat adversus pupillum persecutionem, ipse quidem non petet tutorem pupillo, sed eos qui petere possunt, rogabit petere, vel, si hi neglexerint, tunc accedens[7] ad præsidem hoc ipsum dicet, ut, constituto more legitimo, ea adversus pupillum moveatur persecutio. — § 4. Hæc quidem de tutoribus. *Curatores* autem minores sibi[8] ipsis petent, si quidem adfuerint, per seipsos : si autem abfuerit aliquis eorum, petet per procuratorem. — § 5. An autem alius petere curatorem possit minori, quæsitum est? et Ulpianus egregius ita scribit : non licere alium ei petere, sed ipsum sibi[9] ipsi.

Et apud Paulum lib. 9 Responsorum ita relatum est.

Curatorem, ignorante, nec mandante[10] pupilla, non recte ei a tutore petitum videri : periculumque eorum, quæ curator non jure datus gessit, non sine ratione eum, qui petit, cogendum agnoscere. Et alia parte ejusdem libri ita respondit : si matris judicium princeps secutus curatores filiæ ejus dedit, periculum administrationis eorum eam respicere debere. — § 6. Qui qualitercunque dimissi sunt per excusationem a tutela, necesse non habent[11] petere pupillis tutorem, ut ait Severi et Antonini constitutio.

3. Paulus, lib. 10 Responsorum.

Decreto decurionum et ipsum magistratum[12] curatorem dari potuisse, respondi.

4. Tryphoninus, lib. 13 Disputationum.

Credendum est, et eam matrem constitutione contineri, quæ a patre non legitime tutores testamento vel codicillis datos filiis impuberibus, non postulavit decreto confirmari. — § 1. Sin autem idoneis datis tutoribus pluribus unus eorum vel decessit, vel temporalem excusationem accepit : mater, quæ propterea in locum illius alium non petit, quia numerus reliquorum administrationi tutelæ sufficiebat, incidit quidem in verba constitutionis, sed sententia excusatur[13]. — § 2. Sed si suspecto tutore pupilli accusato, decretum erit ei adjungi alios, mater eos quoque petere debet : et si non petit, incidet in sententiam constitutionis.— § 3. Hæc autem mater ab omni quidem bonorum vindicatione intestatorum filiorum[14] repellitur : si vero maritus ei fideicommissum a filio reliquerit, cui mulier non petit tutorem, *si sine liberis decesserit*, vel sub hac ipsa conditione, *si intestatus mortuus erit* : fideicommissi petitio, quæ ex alieno judicio descendit, non[15] est perempta.— § 4. Quæ autem suspectum tutorem non fecit, nec verbis, nec sententia constitutionis in pœnam incidit : quod ejusmodi facta dijudicare et æstimare, virilis animi est : et potest etiam delicta ignorare mater : satisque est, eam petisse talem, qui inquisitione per prætorem habita idoneus apparuit : et ideo nec judicium ejus sufficit ad eligendos tutores, sed inquisitio fit, etiam si maxime in bona propria liberis suis testamento tutores dederit.

36. L. 3, infr. tit. prox.; § 4, Inst. de Atil. tut. — 37. L. 8, infr. de curat. furios. — 38. L. 10. C. qui dare tutor. — 39. L. ult. supr. de tutel. — 40. L. un. C. si contra matr. voluntat. — 41. *Fac.* L. 55, supr. de procur. — 42. L. 1, C. de tutor. illustr. — 43. L. 1, § 10, infr. de magistr. conven. — 44. L. 10, supr. de tutel. — 45. L. 6, C. qui dare tutor. — 46. L. 2, in fin. C. in quib. casib. tutor. habenti.; L. 1, C. quando tutor. vel curat. esse desin. — 47. *Fac.* L. 1, § 2, infr. quæ sentent. sine appellat. : L. 2, C. quando provoc.— 48. *Vide tamen* L. 14, supr. de testam. si tut.— 49. L. 1, in fin. supr. h. t.— 50. L. 21, § 2, infr. de excusat.; L. un. C. ubi petant tut.—51. L. 1, § 4; L. 44, infr. de excusat.—52. L. 5, C. d. t.— 53. *Vide tamen* L. 1, § 1, infr. quando appelland. sit.—54. L. 13, § 1, circa fin. infr. de excusat.

Tit. VI. — 1. Lib. 5, C. 31. — 2. L. 3, L. 6, C. h t. — 3. d. L. 6. — 4. L. 2, C. h. t. — 5. L. 2, § 23, infr. ad SC. Tertull. : § pen. Inst. eod. — 6. d. L. 2, § 32. — 7. L. 4, C. h. t. L. 28, § 2, vers. ne autem. C. de admin. tutor.—8. L. 6, C. h. t.—9. L. 3, § 2, supr. de tutel. — 10. L. 43, § 3, supr. de procurat. — 11. *Vide tamen* L. 39, § 2, infr. de admin. et peric tut. — 12. *Fac.* L. 19, supr. tit. prox.

TIT. VII.

DE ADMINISTRATIONE[1] ET PERICULO[2] TUTORUM ET CURATORUM QUI GESSERINT[3], VEL NON[4] : ET DE AGENTIBUS, VEL CONVENIENDIS[5] UNO VEL PLURIBUS.

1. Ulpianus, lib. 35, ad Edictum.

Gerere atque administrare tutelam, extra ordinem tutor cogi solet.— § 1. Ex quo scit[6] se tutorem datum, si cesset tutor, suo periculo cessat. Id enim a divo Marco constitutum est : ut, qui scit se tutorem datum, nec excusationem, si quam habet, allegat intra tempora præstituta, suo periculo cesset. — § 2. Sufficit tutoribus ad plenam defensionem, sive ipsi judicium suscipiant, sive pupillus ipsis[7] auctoribus : nec[8] cogendi[9] sunt tutores cavere, ut defensores solent : licentia igitur erit, utrum malint ipsi suscipere judicium, an pupillum exhibere, ut ipsis auctoribus judicium suscipiatur : ita tamen, ut pro his qui fari non possunt, vel absint, ipsi tutores judicium suscipiant : pro his autem qui supra septimum annum ætatis sunt, et præsto fuerint, auctoritatem præstent. — § 3. In causis autem adultorum licentia erit agentibus, vel ipsum adultum præsentem in judicium vocare, ut consensu curatoris conveniatur : vel contra curatorem agere, ut ipse litem suscipiat. In absentibus autem adultis omnimodo contra curatorem agendum. — § 4. Non denegari autem neque tutoribus, neque curatoribus, etiam debitores pupillorum vel adultorum, ex persona sua, prospectu officii, in judicium[10] vocare : vel eis hoc facientibus suum accommodare consensum.

2. *Idem*, lib. 9, ad Edictum.

Si tutor condemnavit, sive ipse condemnatus est : pupillo, et in[11] pupillum potius actio judicati datur : et maxime si non se liti obtulit, sed cum non posset vel propter absentiam [pupilli], vel propter infantiam auctor ei esse ad accipiendum judicium : et hoc etiam D. Pius rescripsit : et exinde multis rescriptis declaratum est, in pupillum dandam actionem judicati semper, tutore condemnato : nisi abstineatur[12] : tunc enim nec in tutorem nec in pupillum, nec pignora tutoris capienda esse, sæpe rescriptum est. — § 1. Amplius Marcellus libro vicesimo[primo] Digestorum scribit : et si satisdedit tutor, mox abstinuit pupillus, fidejussoribus[13] quoque ejus debere subveniri. Sed [et] si pupillus non abstinuit, quemadmodum ipsi, ita et fidejussoribus ejus subveniri : maxime, si pro absente pupillo, vel pro infante satisdedit.

3. *Idem*, lib. 35, ad Edictum.

Si plures curatores dati sunt, Pomponius lib. 68 ad Edictum scripsit, ratum haberi debere etiam quod per unum gestum est : nam et in furiosi curatoribus[14], ne utilitates furiosi impediantur, prætor uni eorum curationem decernet, ratumque habebit quod per eum sine dolo malo gestum est. — § 1. *Si parens vel pater qui in potestate habet, destinaverit testamento, quis tutorum tutelam gerat, illum*[15] *debere gerere* prætor putavit : meritoque parentis statur voluntati, qui utique recte filio prospexit : tantundem prætor facit et de his, quos parens destinavit testamento, [ipse] autem confirmavit : ut, si parens declaravit, quem velit tutelam administrare, ille[16] solus administret. — § 2. Cæteri igitur tutores non administrabunt : sed erunt hi, quos vulgo *honorarios*[17] appellamus : nec quisquam putet, ad hos periculum[18] nullum redundare : constat enim, hos quoque, excussis[19] prius facultatibus ejus qui gesserit, conveniri oportere : dati sunt enim, quasi observatores actus ejus et custodes : imputabiturque eis quandoque, cur, si male eum conversari videbant, suspectum [eum] non fecerunt. Adsidue igitur et rationem ab eo exigere eos oportet, et sollicite curare, qualiter conversetur : et si pecunia sit quæ deponi possit, curare, ut deponatur[20] ad prædiorum comparationem : blandiuntur enim sibi, qui putant, honorarios tutores omnino non teneri : tenentur enim secundum ea quæ supra ostendimus. — § 3. Quamvis autem ei potissimum se tutelam commissurum prætor dicat, cui testator delegavit, attamen nonnunquam ab hoc recedet : utputa si pater minus penso consilio hoc fecit, forte minor vigintiquinque annis; vel eo tempore fecit, quo iste tutor bonæ vitæ vel frugi videbatur, deinde postea idem cœpit male conversari ignorante testatore; vel si contemplatione facultatium ejus res ei commissa est, quibus postea exutus est. — § 4. Nam et si unum pater dederit tutorem, nonnunquam ei adjunguntur curatores : nam imperator noster cum patre rescripsit, cum duos quis libertos suos tutores dedisset, unum rerum italicarum, alium rerum africanarum, curatores eis adjungendos : nec patris secuti sunt voluntatem. — § 5. Quod in tutoribus scriptum est, et in curatoribus erit observandum, quos pater testamento destinavit, a prætore confirmandos. — § 6. Apparet igitur prætori curæ fuisse, ne[21] tutela per plures administretur : quippe etsi pater non destinaverit quis gerere debeat, attamen id agit, ut per unum administretur; sane enim facilius unus tutor et actiones exercet et excipit; ne per multos tutela spargatur. — § 7. *Si non erit a testatore electus tutor, aut gerere nolet : tum is gerat cui major*[22] *pars tutorum tutelam decreverit* : prætor igitur jubebit eos convocari[23] : aut si non coibunt, aut coacti non decernent, causa cognita ipse statuet, quis tutelam geret. — § 8. Plane si non consentiant tutores prætori, sed velint omnes gerere, quia fidem non habeant electo, nec patiuntur succedanei esse alieni periculi, dicendum est, prætorem permittere eis omnibus gerere. — § 9. Item si dividi inter se tutelam velint tutores, audiendi sunt : ut distribuatur inter eos administratio,

4. *Idem*, lib. 9, ad Edictum.

Vel in partes, vel in regiones : et, si ita fuerit divisa, unusquisque exceptione summovebitur pro ea parte[24], vel regione[25], quam non administrat.

5. *Idem*, lib. 35, ad Edictum.

Ita autem depositioni[26] pecuniarum locus est, si ea summa corradi [id est, colligi] possit, ut comparari ager possit : si enim tam exiguam esse tutelam [facile] probatur, ut ex nummo refecto prædium puero comparari non possit, depositio cessat. Quæ ergo tutelæ quantitas depositionem inducat, videamus? Et cum causa depositionis exprimatur, *ut prædia pupillis comparentur*, manifestum est, ut ad minimas summas non videatur pertinere : quibus modus præfiniri generaliter non potest : cum facilius causa cognita per singulos possit examinari. Nec tamen auferenda facultas est, etiam minores summas interdum deponi postulare, si suspecti tutores esse videantur. — § 1. *Gessisse* autem videtur tutor, qui quid omnino pupillare attigit[27], etiamsi modicum : cessantque partes eorum, qui solent cessantes cogere administrare. — § 2. Quod si, posteaquam gessit, tunc se gestu abstinuit : etiam suspecti postulatio succedit. — § 3. Quod si quis tutelam mandaverit gerendam, gestaque fuerit ab eo cui mandatum est : locus erit tutelæ actioni : videtur enim *gessisse*, qui per alium gessit : quod si non accessit is cui mandatum est, utili actione convenitur.— § 4. Debitor patris, qui tutelam administravit filii, tutelæ judicio tenebitur etiam ob id quod patri debuit[28]. — § 5. Si tutor pupillum suum puberem factum non admonuerit, *ut sibi curatores peteret* (sacris enim constitutionibus hoc facere jubetur, qui tutelam administravit) : an tutelæ judicio teneatur? Et magis puto, sufficere tutelæ judicium, quasi connexum[29] sit hoc tutelæ officio, quamvis post pubertatem ad judicat. solvi.

13. *Immo vide* L. 2, § 39 et 40, infr. ad SC. Tertull. — 14. L. 2, § 1, supr. h. t. — 15. *Immo vide* L. 6. C. ad SC. Tertull. : L. 10, C. de legit. hered.

Tit. VII.— 1. Lib. 5, C. 37. — 2. Lib. 5. C. 38.— 3. *Fac.* 5, C. 44, 45, 47, 48, 57. — 4. 5, C. 55. — 5. *Fac.* 5, C. 39, 40, 52, 54. — 6. L. 5, in fin. infr. h. t. — 7. L. 2, C. qui legit. personam. — 8. *Vide tamen* L. 23, infr. h. t. — 9. L. 28, § 3, C. de admin. tut. — 10. L. 22, L. 46, in fin. infr. h. t.; L. 18, C. de admin. tut.—11. L. 1, C. quando ex facto tut. — 12. L. ult. in fin. supr. si quis caution. — 13. L. 89, infr. de adquir. vel omitt. hered. — 14. L. 24, § 1, infr. h. t.; L. 7, in fin. infr. de curat. furios.; L. ult. C. de auctor. præstand. — 15. § 1, vers. quod si nemo; Inst. de satisd. tut.; L. 14, § 1, infr. de solution.— 16. L. 3, § 5, infr. judicat. solvi. — 17. L. 60, § 2, supr. de ritu nupt. : L. 26, § 1, supr. de testam. tut.; L. 14, § 1, infr. de solution. — 18. d. L. 60, § 2; L. 4, § 3, infr. rem pupilli salv.; L. 1, C. si tut non gesserit. — 19. L. 39, § 11, infr. h. t.; L. 6, C. arbitr. tut. — 20. L. 5, in pr. infr. h. t. — 21. L. 24, in fin. infr. h. t. — 22. L. 19, § 1, supr. de testam. tut.; § 1, vers. quod si non fuerit; Inst. de satisd. tut.— 23. N. 118, c. 5. — 24. L. 46, § 6; L. 47, § 2; L. 51, L. 55, infr. h. t. : L. ult. C. si ex plurib. tut. : L. 2, C. de peric. tut.; L. 2, C. de divid. tut.—25 d. L. 51. — 26. L. 3, § 2, in fin. supr. h. t. — 27. L. 5, in fin. infr. de magistr. conven. — 28. L. 5, infr. de tutel. et ration. — 29. *Adde* L. 11, C. arbitr. tut.

mittatur. — § 6. Post completum vicesimumquintum annum ætatis, si nondum rationes redditæ sunt, nec ad causam instrumenta pertinentia, fidei ac verecundiæ curatorum convenit, ut consilio suo cœptam[30] litem perficiant. Si igitur cessent in his quæ constituta sunt faciendis, magis puto sufficere negotiorum gestorum judicium, etiamsi actum est : si tamen hujus rei ratio reddita non est. — § 7. Julianus lib. 21 Digestorum hujusmodi speciem proponit : quidam decedens filiis suis dederat tutores, et adjecerat, *eos[que] aneclogistos esse volo* : et ait Julianus, tutores, nisi bonam[31] fidem[32] in administratione præstiterint, damnari debere, quamvis testamento comprehensum sit, *ut aneclogisti essent* : nec eo nomine ex causa fideicommissi quicquam consequi debebunt, ut ait Julianus, et est vera ista sententia : *nemo enim jus publicum remittere potest hujusmodi cautionibus, nec mutare formam antiquitus constitutam* : damnum[33] vero, quodcunque ex tutela quis senserit, et legari, et per fideicommissum ei relinqui potest. — § 8. Papinianus lib. 5 Responsorum ita scribit : Pater tutelam filiorum *consilio matris geri* mandavit, *et eo nomine tutores liberavit*. Non idcirco minus officium tutorum integrum erit, sed viris bonis conveniet, salubre consilium matris admittere : tametsi neque liberatio tutoris, neque voluntas patris, aut intercessio matris tutoris officium infringat. — § 9. Usque adeo autem licet[34] tutoribus patris præceptum negligere, ut si pater caverit, *ne quid rei suæ distraheretur*, vel, *ne mancipia distrahantur*, [vel] *ne vestis*, [vel] *ne domus*, [vel] *ne aliæ res periculo subjectæ*, liceat eis contemnere hanc patris voluntatem. — § 10. Ex quo[35] innotuit tutor, se tutorem esse : scire debet periculum tutelæ ad eum pertinere. Innotescere autem qualiter qualiter sufficit, non utique testato eum conveniri : nam etsi citra testationem, scilicet undecunque cognovit, nulla dubitatio est, quin debeat periculum ad ipsum respicere.

6. *Idem*, lib. 36, ad Edictum.

Hoc autem, quod cognovit tutor, pupillus probare debebit.

7. *Idem*, lib. 35, ad Edictum.

Tutor, qui repertorium non fecit, quod vulgo *inventarium* appellatur, dolo fecisse videtur : nisi forte aliqua necessaria et justissima causa allegari possit, cur id factum non sit. Si quis igitur dolo inventarium non fecerit, in ea conditione est, ut teneatur in id quod pupilli interest : quod ex jurejurando in litem æstimatur. Nihil itaque gerere ante[36] inventarium factum eum oportet : nisi id quod dilationem[37] nec modicam exspectare possit. — § 1. Si tutor cessaverit in distractione earum rerum quæ tempore depereunt[38], suum periculum facit : debuit enim confestim officio suo fungi. Quid si contutores exspectabat, vel differentes, vel etiam volentes se excusare, an ei ignoscatur? Et non facile ignoscetur : debuit enim partibus suis fungi : non quidem præcipiti festinatione, sed nec moratoria cunctatione. — § 2. Competet adversus tutores tutelæ actio, si male contraxerint[39] : [hoc est], si prædia comparaverint non idonea, per sordes, aut gratiam. Quid ergo, si neque sordide, neque gratiose, sed non bonam conditionem elegerint? Recte quis dixerit, solam latam[40] neglegentiam eos præstare in hac parte debere. — § 3. Si post depositionem pecuniæ comparare prædia tutores neglexerunt, incipient in usuras conveniri : quamquam enim a prætore cogi eos oportet ad comparandum, tamen, si cessent, etiam usuris plectendi sunt tarditatis gratia : nisi[41] [si] per eos factum non est, quominus compararent. — § 4. Pecuniæ, quam in usus suos converterunt tutores, legitimas[42] usuras præstant : sed hoc ita demum, si evidenter doceantur pecuniam in usus suos convertisse. Cæterum non utique qui non fœneravit, vel non deposuit, in suos usus vertit : et ita divus Severus decrevit. Doceri igitur debet, in usus suos pecuniam vertisse. — § 5. *Vertisse in suos usus* [non] accipimus eum, qui debitor patris pupilli fuit, deinde ipse sibi[43] non solvit : hic enim eas usuras præstabit, quas patri promiserat. — § 6. Si tutor pecuniam pupillarem suo[44] nomine fœneravit, ita demum cogetur usuras quas percepit præstare, si suscipiat pupillus ceterorum nominum periculum. — § 7. Si deponi oportet pecunias ad prædiorum comparationem, si quidem factum est, usuræ non current : sin vero factum non est, si quidem nec præceptum est ut deponantur, pupillares præstabuntur; si præceptum est, et neglectum, de modo usurarum videndum est? Et solent prætores comminari, *ut, si non fiat depositio, vel quanto tardius fiat, legitimæ usuræ præstentur* : si igitur comminatio intercessit, judex qui quandoque cognoscet, decretum prætoris sequetur. — § 8. Idem solent facere prætores etiam circa eos tutores, qui negant habere ad alendos pupillos penes se aliquid : ut quidquid constiterit penes eos esse, ejus gravissima usura pendatur : et hoc persequi oportere judicem palam est, cum et alia pœnæ adjectione. — § 9. Residuarum autem summarum pupillares usuras pendi oportet. — § 10. Quæ autem sunt *pupillares usuræ videndum est?* Et apparet hanc esse formam usurarum, ut ejus quidem pecuniæ, quam quis in usus suos convertit, legitimam[45] usuram præstet. Sed et si negavit *apud se esse pecuniam*, et prætor pronunciavit contra eum, legitimas solvere debebit : vel si moram depositioni fecit, et prætor irrogavit ei legitimas. Sed et si, dum negat *aliquam quantitatem penes se esse*, pupillis ad onera sua expedienda imposuit necessitatem mutuam pecuniam legitimis usuris accipiendi, tenebitur in legitimis. Item si a debitoribus legitimas exegit. Ex cæteris causis secundum morem[46] provinciæ præstabit usuras, aut quincunces, aut trientes, aut si quæ aliæ leviores in provincia frequentantur. — § 11. Usuræ a tutoribus non statim exiguntur, sed interjecto tempore, ad exigendum, et ad collocandum, duum mensum[47] : idque in judicio tutelæ servari solet : quod spatium seu laxamentum temporis tribui non oportet his, qui nummos impuberum, vel adulescentium, in suos usus converterunt. — § 12. Si usuras exactas[48] tutor vel curator usibus suis retinuerint, earum usuras agnoscere eos oportet : sane enim parvi refert, utrum sortem pupillarem, an usuras in usus suos converterint. — § 13. Pecuniæ, quæ in arca fuit, etiam heredes curatoris tamdiu usuras præstabunt, quamdiu non interpellaverint, ut loco defuncti curator constituatur. — § 14. Si tutor pro contutore condemnetur[49], an etiam in usuras condemnandus sit, quæritur? Et placet (ut multis rescriptis continetur, et Papinianus lib. 12 Quæstionum ait), etiam in usuras eum condemnandum, si suspectum facere supersedit. Et quidem eas demum usuras cogendum præstare, quas etiam suæ administrationis cogitur. — § 15. Sciendum est, tutorem et post officium finitum usuras debere in[50] diem, quo tutelam restituit.

8. *Idem*, lib. 23, ad Edictum.

Si tutelæ agat is cujus tutela administrata est : dicendum est, nonnunquam diem creditæ pecuniæ exspectandum ; si forte tutor pecunias crediderit pupilli nomine, quarum exigendarum dies nondum venit : sane, quod ad pecunias attinet, ita [demum] verum est, si potuit et debuit credere : cæterum, si non debet credere, non expectabitur.

9. *Idem*, lib. 36, ad Edictum.

Quotiens tutor pecuniam pupillarem fœnori dat, stipulatio hoc ordine facienda est : stipulari enim debet aut pupillus, aut servus pupilli : quod si neque pupillus ejus ætatis erit, ut stipulari possit, neque servum habebit : tunc ipse tutor, quive in ejus potestate erit : quo casu Julianus sæpissime scripsit, utilem actionem pupillo dandam. Sed et si absens sit pupillus, oportere tutorem suo nomine stipulari, nequaquam ambigendum est. — § 1. Si paterfamilias eum, pro quo fidejussit, tutorem dederit filio suo : officio tutoris convenit, ut, cum dies pecuniæ præterierit, creditori debitum solvat : et ideo cessante eo, si pupillus suæ tutelæ factus solverit ex causa fidejussoria, non solum mandati, sed etiam tutelæ agere poterit : hoc enim ei imputatur, cur pro se non solverit. Quod si in diem debitor fuit iste tutor, quibusdam videtur, non venire in tutelæ judicium : si modo is dies post tutelam finitam supervenit. Quod si dies adhuc durante tutela venit, putant omnimodo devolvi in tutelæ judicium. Ego et hoc, et superius ita verum puto, si facultatibus labi tutor cœpit : cæterum, si idoneus tutor fuit, nihil venire in tutelæ judicio. Nec quisquam putet, nullum effectum hoc habere : namque si quis dixerit, in tutelæ judicium devolvi, et privilegio locus est, et fidejussores tenebuntur, si rem salvam fore cautum est. — § 2. Item si temporali actione fuit obligatus tutor, dicendum est, locum esse tutelæ judicio, ut perpetua actio sit. — § 3. Et generaliter, quod adversus alium præstare debuit pupillo suo, id adversus se quoque præstare debet : fortassis et plus : adversus alios enim experiri sine[51] actione non potuit, adversus se potuit. — § 4. Sed si sub usuris gravioribus patri pupilli pecuniam debuit, quam sint pupillares, videndum est, an ei aliquid imputetur? Et si quidem solvit, nihil est, quod ei imputetur, potuit enim solvere, nec onerare se usuris : si vero non solvit, usuras cogendus est agnoscere, quas a se exigere debuit. — § 5. Sicut autem solvere tutor quod debet, ita et exigere quod sibi debetur potest, si creditor fuit patris pupilli : nam et sibi[52] solvere potest, si modo fuit pecunia, unde solvat[53] :

30. L. 24, in fin.; L. 27. infr. de appellat.; L. un. C. ut causæ post pubertat. — 31. L. 60, in fin. supr. mandati. — 32. L. 20, in fin. infr. de liberat. legat. — 33. L. 39, § 15; L. 41, L. 19, C. h. t. — 34. *Obst.* L. 7, C. de admin. tut. — 35. L. 1, § 1, supr.; L. 17, infr.; ult. in fin. C. de tut. et curat. qui satis non ded. — 36. L. ult. § 1, C. arbitr. tut. — 37. *Adde* L. 22, in fin. C. h. t.; L. fin. infr. h. t. — 38. d. L. 22, in fin. — 39. L. 57, in fin. infr. h. t. — 40. L. 223, in pr. infr. de verb. sign. — 41. L. 3, C. de usur. pupill. — 42. L. 38, supr. de negot. gest.; L. 1, C. de usur. pupill. — 43. d. L. 38. — 44. L. 46, § 2, infr. h. t. — 45. § 4, supr. hic; L. 1, C. de usur. pupill.; L. 3, C. arbitr. tut.; L. 38, supr. de negot. gest. — 46. L. 1, in pr. supr. de usur. — 47. N. 72, c. 6; *vide tamen* L. 15, infr. h. t. — 48. L. 58, § 1, infr. eod. — 49. L. 2, C. de usur. pupill. — 50. L. 1, in fin. supr. de usur.; L. 46, § 3, infr. h. t. — 51. L. 31, § 4, supr. de hered. petit. — 52. L. 13, supr. de negot. gest.; L. 78, § 1, supr. de contrah. empt.; L. 8, C. qui dare tut. — 53. L. 3, § 5, infr. de contrar. tu

et si usuræ fuerunt graviores, quæ ei debebantur, relevabitur eis pupillus, quia tutor se potuit liberare : sicut aliis quoque solvere et potuit et debuit. — § 6. Nec utique necesse habet, si conveniatur, per judicem solvere : idcircoque si mala causa pupillaris est, denunciare sibi verum debet. Denique imperator Antoninus cum patre, etiam honoraria eos imputare pupillo prohibuit, si supervacaneam[54] litem instituissent, cum convenirentur a vero creditore : nec enim prohibentur tutores bonam fidem agnoscere. — § 7. Non tantum autem sibi solvere tutor, verum etiam sibi creditam pecuniam scribere [potest], ut Marcellus lib. 8 Digestorum scripsit : seque mutua pecunia poterit obligare, sibi mutuam proscribendo. — § 8. Constat eum, qui ad augmentum datur (utputa ad bona materna quæ postea accesserunt, vel ad quid aliud augmentum), administrare bona pristina non solere. Si autem suspectum[55] facere priorem tutorem supersedit, vel satis ab eo exigere, plectetur. — § 9. Per contrarium autem, qui datus est simpliciter tutor pupillo vel curator, si quid postea[56] augmenti accesserit, periculo tenetur, quamvis soleat[57] ad augmentum dari curator : quæ res non facit, ut ipsa augmenta non pertineant ad curam priorum, ad quos omnis utilitas pupillorum debet pertinere. Sive igitur datus est, communicatur periculum cum prioribus : sive datus non est, tenetur administrationis necessitate is qui antea erat datus.

10. *Idem*, lib. 49, ad Edictum.

Generaliter, quotiescunque non fit nomine pupilli quod quivis paterfamilias idoneus facit[58], non videtur defendi : sive igitur solutionem, sive judicium, sive stipulationem detrectat, defendi non videtur.

11. *Idem*, lib. 33, ad Edictum.

Circa pupillum, cujus tutor servus erat pronunciatus, divus Pius rescripsit, in rebus, quas ex pecunia pupilli servus comparaverat, dominum non posse uti prærogativa deductionis. Quod et in curatore observandum est.

12. Paulus, lib. 38, ad Edictum.

Cum plures tutelam gerunt, nulli eorum in contutorem[59] actio pupilli nomine datur. — § 1. Quæ bona fide a tutore gesta sunt, rata[60] habentur etiam ex rescriptis Trajani et Hadriani : et ideo pupillus rem a tutore legitime distractam vindicare non potest : nam et inutile est pupillis, si administratio eorum non servatur, nemine scil. emente[61]. Nec interest, tutor solvendo fuerit, necne : cum si bona fide [res] gesta sit, servanda sit; si mala fide, alienatio non valet. — § 2. Nimium est, licere tutori respectu existimationis pupilli erogare ex bonis ejus, quod ex suis non honestissime fuisset erogaturus. — § 3. Cum tutor non rebus duntaxat, sed etiam moribus pupilli præponatur : in primis mercedes præceptoribus, non quas minimas poterit, sed pro facultate patrimonii, pro dignitate[62] natalium constituet : alimenta[63] servis, libertisque, nonnunquam etiam exteris, si hoc pupillo expediet, præstabit : solennia munera[64] parentibus cognatisque mittet : sed non dabit dotem sorori alio patre natæ, etiamsi aliter ea nubere non potuit : nam etsi honeste, ex liberalitate tamen fit, quæ servanda arbitrio pupilli est. — § 4. Si tutor pecuniam pupillarem credere non[65] potuit, quod non erat cui crederet, pupillo vacabit.

13. Gaius, lib. 12, ad Edictum provinciale.

Tutor secundum dignitatem[66] facultatesque pupilli modum servorum æstimare debet, qui circa eum futuri sunt. — § 1. Non[67] est audiendus tutor, cum dicat, ideo cessasse pupillarem pecuniam, quod idonea nomina non inveniret, si arguatur[68] eo tempore suam pecuniam bene collocasse. — § 2. In solvendis legatis et fideicommissis attendere debet tutor, ne cui non debitum solvat : nec nuptiale munus matri[69] pupilli, vel sorori mittere[70]. Aliud est, si matri forte, aut sorori pupilli tutor ea quæ ad victum[71] necessaria sunt, præstiterit, cum semetipsa sustinere non possit : nam ratum id habendum est. Nec enim eadem causa est ejus quod in eam rem impenditur, et quod muneris legatorumve nomine erogatur.

14. Paulus, lib. 8 Brevium.

Etiam contutoris factum imputatur collegæ[72], si potuit et debuit suspectum facere : interdum et si debuit satis petere : nam si idoneus subito lapsus est, nihil collegæ imputari potest.

15. *Idem*, lib. 2 Sententiarum.

Si tutor constitutus, quos invenerit debitores, non convenerit, ac per hoc minus idonei efficiantur; vel intra[73] sex primos menses pupillares pecunias non collocaverit : ipse in debitam pecuniam, et in usuras ejus pecuniæ, quam non fœneravit, convenitur[74].

16. *Idem*, lib. 6, ad Sabinum.

Cum quæritur judicio tutelæ, quæ nomina a tutore facta agnoscere pupillus debeat : Marcellus putabat, si tutor pecuniam pupilli mutuam dedisset, et suo[75] nomine stipulatus esset, posse dici nomina integra pupillo salva esse, deperdita et male contracta ad[76] tutorem pertinere : sed verius se putare, posse tutorem eam conditionem adolescenti deferre, ut id, quod gessisset tutor in contrahendis nominibus, aut in totum agnosceret, aut a toto recederet : ita ut perinde esset, ac si tutor sibi negotium gessisset. Idem est et si pupilli nomine credidisset.

17. Pomponius, lib. 17, ad Sabinum.

Qui jussus est ab eo qui jus jubendi habet, tutelam gerere : si cessasset[77], ex quo jussus est, indemnem pupillum præstare debebit, non ex quo tutor esse cœpit.

18. Julianus, lib. 21 Digestorum.

Qui tutor negotia pupilli gessit, quamvis in nulla re auctor pupillo fuerit, quin tutelæ judicio teneatur dubitari non oportet : quid enim prohibet, ita patrimonium pupilli compositum esse, ut nihil gerere necesse sit, in quo tutoris auctoritas interponi debeat? — § 1. Ex duobus tutoribus, si cum altero actum fuerit, alter[78] non liberabitur.

19. Ulpianus, lib. 1 Responsorum.

Actus sui rationem concuratori[79] reddere non esse compellendum : sed, nisi cum eo administrationem communicet [aut si non] ex fide curam gerat, suspectum postulari posse.

20. *Idem*, lib. 5, de officio Proconsulis.

Tutor vel curator, cujus[80] injusta appellatio pronunciata erit, cujusve excusatio recepta non sit, ex quo accedere ad administrationem debuit, erit obligatus.

21. Marcellus, lib. singul. Responsorum.

Lucius Titius Gaium Seium filiumfamilias testamento filio suo tutorem dedit; Gaius Seius sciente et consentiente patre, tutelam administravit : quæro, an defuncto Gaio Seio actio tutelæ adversus patrem ejus, et in quantum competat? Marcellus respondit, secundum ea quæ proposita essent, actione[81] de peculio, et de in rem verso patrem teneri : nec multum videri in hoc casu facere patris scientiam et consensum ad obligandum eum in solidum : nisi forte contutore vel alio quo volente eum facere suspectum, intercessit, et quasi in se periculum recepit.

22. Paulus, lib. 3, ad Edictum.

Tutor ad utilitatem pupilli et[82] novare et rem in judicium[83] deducere potest. Donationes[84] autem ab eo factæ pupillo non nocent.

23. Ulpianus, lib. 9, ad Edictum.

Vulgo observatur, ne tutor caveat[85], *ratam rem pupillum habiturum* : quia[86] rem in judicium deducit : quid tamen, si dubitetur an tutor sit, vel an duret tutor, vel an gestus illi commissus sit? Æquum est, adversarium non decipi. Idem et in curatore est, ut Julianus scripsit.

24. Paulus, lib. 9, ad Edictum.

Decreto prætoris actor[87] constitui periculo tutoris solet, quotiescunque aut diffusa negotia sint, aut dignitas, vel ætas, aut valetudo tutoris id postulet : si tamen nondum fari pupillus potest, ut procuratorem facere possit, aut absens sit, tunc actor necessario constituendus est. — § 1. Si duobus simul tutela gerenda permissa est vel a parente, vel a contutoribus, vel a magistratibus : benigne accipiendum est, etiam uni[88] agere permissum : quia duo simul agere non possunt.

25. Ulpianus, lib. 13, ad Edictum.

Si minoris actum fuerit cum tutoribus, adsistentibus curatoribus, et pupillus ob hoc egerit cum curatoribus, et ei sint condemnati in id quod sua intererat[89] minoris tutores culpa eorum condemnatos non esse : an restitutio adversus tutores cesset? Et Papinianus Responsorum lib. 2 ait,

54. *Adde* L. 6, C. h. t.; L. 78. § 2, in fin. infr. de legat. 2. — 55. L. 19. infr. h. t.; L. 3, in pr. infr. de suspect. — 56. L. ult. § 7, C. de curat. furios. — 57. L. ult. C. in quib. casib. tutor habenti. — 58. L. 33, in pr. infr. h. t. — 59. L. 32, in fin. infr. eod. — 60. L. 11, infr. de curat. furios. — 61. L. 24, § 1, supr. de minor. — 62. L. 13, in pr. infr. h. t — 63. L. 1. § 8, infr. de tut. et ration. — 64. *Immo vide* L. 13. § ult. infr. h. t. — 65. L. 3. C. de usur. pupill — 66. L. 12, § 3, supr. h. t.; *adde* L. 12, § 5, supr. de religios. — 67. *Hoc mutat.* N. 72, c. 6 — 68. *Adde* L. 5, § 4, in fin. supr. commodati. — 69. L. 1, § 5, infr. de tutelæ et ration. — 70. *Immo vide* L. 12, § 3, supr. h. t. — 71. L 4, infr. ubi pupill. educari; L. 1, § 2, infr. de tutelæ et ration. — 72. L. 39, § 16, infr. h. t.; L. 2, in fin. infr. de magistr. conven. — 73. *Vide tamen* L. 7, § 11, supr. h. t. — 74. *Hoc mutat.* N. 72, c. 6. — 75 L. 46, § 2, infr. h. t. — 76. L. 24, in fin. C. eod.; N. 72, c. 6. — 77. L. 5, in fin. supr. h. t. — 78. L. 39, § 15, infr. eod; L. 23, infr. de tutelæ et ration. — 79. L. 32, in fin. infr. h. t. — 80. L. 39, § 6, infr. eod.: L. 15, in fin. C. de excusat. tut. — 81. *Immo vide* L. 7, supr. de tutel. — 82. L. 20, § 1, infr. de novat. — 83. L. 1, in fin. supr. h. t. — 84. L. 46, in fin. infr. eod. — 85. L. 13, C. h. t. — 86. L. 11, § 7, infr. de except. rei judic. — 87. L. 13, in fin. supr. de tutel. — 88. L. 3, § 6, supr. h. t.; L. 1, C. si ex plurib. tutor. — 89. L. 20, § 1, infr. de tutelæ et ration.